

# PERIOCHA IN LIBROS XXVI

DE REPUBLICA PETRI GREGORII.

*Prima pars operis de rebus.*

**Q**uia mihi semper placuit methodus, quæ imitatur naturam, quam & ars secuta omnis est. ideo in opere hoc instituto De Republica faciliorem fore eius tractationem existimavi, si a rebus quæ necessario in eo consideranda sunt exorsus. deinde de personis quibusdam in ea præcipuis, & postremo de actionibus circa administrationem exercendis, agamus.

*Liber I.*

I Proinde Deo duce, (cui, si quid in hoc labore, boni meditari, dicere aut scribere contigit, acceptum omnino referimus.) principio e. i. Quid sit Respublica, in genere demonstrare conabimur, ut id de quo disputaturi latius sumus, intelligatur, quæ sit eius materia, quæ forma, quale corpus civile, quod eius vinculum, & quis spiritus eam vivificet & contineat.

II. Dein e. 2. origo eius societatis ab inconvulvis repetitur: quomodo homines coierint in vnum, distinctiq; sint in familias, oppida, civitates, regna, & imperia.

III. Et quia illa societas & conventus hominum, nominari & dici solet civitas, dicitur e. 3. quid sit civitas, & quotuplex in celestibus & humanis mansionibus, per genera inveniatur: de cælesti triumphante & militante ecclesia, de nomine eius, quæ civis appellantur.

*Liber II.*

I Hinc transitus fit ad res corporales considerandas, quibus respublica eget, in lib. 2. Ita prius e. 1. agimus, de vrbis seu civitatis ædificatione.

II. In 2. de ædibus feris.

III. In 3. de arcibus ædificandis vel deiciendis, & de muris vrbium.

III. In 4. de suburbis & pomerio.

V. In 5. num expedit reip. arces tutissimas habere.

VI. In 6. de foro iudiciali & tribunaliibus, in quibus opem iustitiæ impiorum aguntur causæ. Quomodo locus ille tutus & ab armorum metu immunis esse debeat, deque a iudicibus iudi-

cum & advocatorum præcauendis & emendandis.

VII. In 7. de cæceribus, eorumque in reip. necessitate & solitudine.

VIII. Fori venalis tractatur in 8. solitudo.

IX. Et postea cap. 9. de aliis publicis locis & operibus agitur: ut de viis, theatris, balneis, palatiis & ædificiis publicis: ut scilicet vitia fiant nec onerosa aut damnosa sint negotio publico.

X. Sed & 10. adicimus curam ædificiorum privatorum, ut talia fiant, quæ ad decorem vrbis, & ad commodam tuamque habitationem esse possint.

*Liber III.*

I Excipit liber 3 secundum, ubi de aliis rebus seu bonis & pecuniis agitur: quibus introducta & constituta respublica est sustinenda, & fovenda, non minus quam corpus Physicum nervis: quibus comparantur in robore maximo belli, pecuniæ, ut docet e. 1.

II. Quæ autem sit distinctio bonorum respublicæ, docemus in e. 2. separatis & iudicatis patrimonialibus, domanialibus, redditibus ordinariis mutabilibus & immutabilibus.

III. Proinde & subsequenter de ærario, in quod deferantur in e. 3. agitur.

III. Subinde de modis tractatur ditandi ærarium, e. 4. & de censibus & 4. tributis rerum.

V. Ut in 5. de tributis & censu capitacionis, vel censu personarum.

VI. Indicamus verbo in 6. modos cum causis, alios exigendi, vel extorquendi pecuniam a subditis, quibus necessitas vel avaritia, vel tyrannis principum vti solent.

VII. Elucidamus vero e. 8. dubium quotidianum, num princeps secularis, respublica, tributa ab ecclesia postulare possit & exigere tempore maximæ necessitatis: & quando & qua auctoritate. Considerato ita ærario, & sermone finito de eo locupletando, non fuit alienum ab ordine tradere, de eo conseruando, quod fit in e. 8.

VIII. Atque in his periodum poni-

mus tractationis rerum pro republica  
necessario in genere considerandaru:  
quare ad personas in libro sequente fit  
transitus.

*Secunda pars operis de personis.*

I. In libro itaque 4. de quibusdam per-  
sonis in statu reipub. certo modo con-  
siderandis, prout necessaria societati  
civili sunt, tractamus. Atque in c. 1. de po-  
puli generali in ciuitate vel in repub.  
diuisione per ordines, status, aetates, &  
per alia similia, agimus.

II. In 2. de nobilitate nobiliumque  
dignitate, & ignobilium statu.

III. In 3. admonemus, quomodo prin-  
cipes nobiles, plebei, & alii abutuntur  
suis ordinibus: & de remediis quibus  
reduci in ordinem proprium possunt, ne tur-  
betur aut confundatur reipub. societas.

IV. In 4. de peregrinis & alienigenis  
dicitur, qui cum ciuibus degunt: num  
& quando expediat eos admittere, de-  
que habitatorum & ciuium proprie ac-  
ceptorum distinctione.

V. Ab statu privato in 5. peruenitur  
ad magistratus, custodes & executores  
seu ministros legum, priuatorum & or-  
dinum directores: & docemus qui ex il-  
lis maiores & minores, qui negotia tan-  
tum publica tractant, qui privati qui iu-  
dices, qui non, ex quibus sint eligendi,  
& quibus, & quales, & qua forma: num  
perpetui, aut temporales: num pretio  
comparandi de necessitate, sineque  
creandorum magistratum.

VI. Ut autem tales sint, qui viles sint &  
non noxii reipublice, indicamus in 6. c.  
errata quae accidere possunt, vel ex parte  
eligentium, vel electorum, cum reme-  
diis quibus putamus his subueniri posse.

VII. Admonemus & in 7. alias perso-  
nas necessario desiderari in repub. sine  
quibus commode in ciuitate vel repub.  
vivere non possumus: & ita mercatores  
exigimus ad commercia facilius expedi-  
enda, aut cum minima omnium mole-  
stia: ostendimus etiam quae obseruan-  
da in commerciis a reipublice admini-  
stratoribus circa merces, mercatores  
ipsos, & eorum iurisdictiones.

VIII. In c. vero 8. non minus neces-  
sariis in republica Agricolas docemus,

pro victu & alimentis: quae sint eo-  
rum privilegia.

IX. Neque etiam artifices excluden-  
dos esse, ut viles, demonstratur in c. 9.

X. Verum ne turbentur singulorum  
vtilitates, constatur docete c. 10. distin-  
ctionem inter personas adhibendam  
esse & gradus honoris atque dignitatis.

XI. Et ne decipiantur extrinsecis ho-  
mines, adhibendam esse distinctionem  
habituum vestimentorum, secundum  
cuiusque gradus honestatem & digni-  
tatem, utque assequi possimus: agitur  
in c. 11. de modesta cultuque.

XII. At num censores sint hodie  
stituenti, iuxta morem Romanum ac  
praesentem, pro reformandis moribus vi-  
uendique licentia, & de potestate eo-  
rum, agimus c. 12. Sicque finem accipit  
persona: ut necessaria tum in corpore  
civili contemplatio cum libro quarto.

*Liber V.*

Quocirca praeparata materia circa  
quam reipublicae administratio versa-  
tur, nempe consideratis rebus & perso-  
nis reipub. Transimus in 5. lib. ad actio-  
nes ipsius reipublicae proprias,

I. Atque in 1. c. contemplatur spe-  
cies rerum publicarum seu species gu-  
bernationis aut administrationis, iuxta  
constitutionem earum: aut perfectas,  
qualis democratia, aristocratia, monar-  
chia: aut ex illis compositas & vitiatas.

II. Et in 2. c. leges conservandae de-  
mocratiae gratia latas adserimus.

III. Inquirimus vero c. 3. num mo-  
narchica melior sit & utilior admini-  
strationibus reliquis aliarum.

IV. Firmamus vero in 4. monarchi-  
cam vtiliorem pluribus visam.

5. Qui sint vero fines proximi, quibus  
vltimus societatis humanae vel rerum pu-  
blicarum, docemus cap. 5. & in quo lapsi  
sunt Ethnici in opinione summi boni.

*Liber VI.*

Prosequimur libro 6. quae ad mo-  
narchicam administrationem pertine-  
re videntur: & ibi instituitur sermo de  
principatu & principe.

I. Atque in cap. 1. probasse nos puta-  
mus, in omni societate, esse necessariam  
alicuius dominantis, regentis aut im-  
perantis

perantis auctoritate, sicque legibus di-  
linis & conuenire, & expedire omnib.

II. Conuincimulque erroris & im-  
pietatis c. 2. eos qui anarchiā probant,  
& omnem dominationem & iubectionem  
perinatiter reiciunt.

III. Quid autem sit in se, hoc est in  
propria persona, princeps: quidue ra-  
tione potestatis erga alios, quidue in  
vtraq; causa, vt recte imperet conside-  
rare debeat, aperimus c. 3.

IV. Accedunt probationes, a signifi-  
catione nominū quib; principes hono-  
rantur quae eos sui muneris meminisse  
debere interpellant, & ita docemus in  
4. quare dicti sunt qui regūt principes.

V. VI. VII. VIII. IX. Quare Dei & se-  
midei in 5. Iudices in 6. Duces in 7. Re-  
ges in 8. Imperatores in 9.

X. Rursum c. 10. aperimus rationem  
aliquorum nominum vsurpatorum in  
certis principatibus & regnis.

XI. Indicamus quoque c. n. vanam &  
inanem quorundam nominum vsur-  
pationem, superbam aut stultam titu-  
lorum principum cognominationem  
vt ceteri eorū exemplo non desipiant.

XII. Vt & in 12. de impietate, abusu  
principum circa vsurpationem titulo-  
rum diuinitatis & cultus diuini

XIII. Deque alio abusu in 13. dum se  
dominos absolute voluerunt dici, &  
quatenus ita dici possint.

XIV. Atque in 14. de inditis nomi-  
bus quibuldā principibus, iuxta aliquā  
proprietatem, vel accidentalē causam.

XV. De abusu vero nominis regū, a-  
perimus c. 15.

XVI. Et de insignibus quorundam  
regum & regnorum antiquorum in 16.

XVII. Vt in 17. de insignibus quarun-  
dam ciuitatum, rerumq; publicarum  
Demum antequam d. grediamur ab  
appellationib; & distinct. onibus titu-  
lorum principatum.

XVIII. Addimas in c. 18. qd. de tyran-  
ni nomine antiqui & posterū senserint.

XIX. Manifestantur in c. 19. veri ty-  
ranni miseriz & pericula, inter quae  
versatur.

XX. Mox in c. 20. quadam retulimus  
de variis ritibus inaugurandi, vel inue-  
ficiendi principes de regno aut prin-  
cipatu: deque ornamentis eorū, coronā,  
sceptro diademate & similibus. Mini-  
me autē attigimus de inuestituris ma-  
iorum & minorum vasallorum, comi-  
tum, marchionum, baronum & simili-  
um: eo quod hic maxime scopus nostrer  
est de gubernantibus rem publicam cū  
potestate suprema vel absoluta dicere.

## Liber VII.

Quocirca in lib. 7. versamur potissi-  
mum in distinctione talium principatū  
& principatum; & de modis per quos  
ad illos peruenitur.

I. II. Sic c. 1. agitur de distinc-  
tione generali principatū In 2. de summi  
Pontificis principatu spirituali

III. In 3. de distinctione principatum  
temporalū, quando videlicet po-  
testas eis ad tempus datur.

IV. In 4. de perpetuis principatib; ex  
successione delatis, iuxta morem, qui  
magis vtilior videtur reipublicae, quam  
si ex electione darentur.

V. In c. 5. docetur, mortuo in princi-  
patu successiuo principe, relictis pluri-  
bus aut duobus filiis, magis expedire  
regno & reipublicae, vt vnus tantum,  
isq; solus primogenitus succedat.

VI. Etiā si s. videatur inhabilis q; ca-  
cus, surdus, vel stultus vt putāus in c. 6.

VII. Et in c. 7. docetur quorū hōe  
ius succedendi & ordo non fuit serua-  
tus, non bene rem successisse exemplis.

VIII. Nothos tamen excludi ab hoc  
principatus successiuo possessione, re-  
ctius quā admitti debere nobis vltimū,  
in cap. 8.

IX. Ceterum si ante susceptum a pa-  
tre principatum, si ius inueniatur pri-  
mogenitus, & post susceptum alius na-  
scatur: quis ex illis praferatur in succes-  
sione patris, & quis primogenitus dica-  
tur ad finem succedendi in principatu  
aperimus 9.

At si primogenitus regis moriatur  
ante patrē relicto filio: num post mor-  
tē aut hic nepos praferatur patris fili-  
is vultū b. autecedentis, iure reprae-  
sentationis, an non explicamus c. 10.

XI. Sicut illud subtilissime explicamus  
vtrinque collatis sententis contrariis  
c. 11. num principatus qui deuoluitur  
iure successione, capace sint foeminae.

XII. XIII. In 12. vero agimus de principatu, qui percipitur iure hereditario. & in 13. de comparato principatu per sordes & pecuniās.

XIII. XV. XVI. XVII. XVIII. In 14. de electione quadam principum per sortem, vt in 15. de creatione principum per deliberatam electionem: & de acquisitione per contractus in 16. At in 17. agimus de inuasionem principatum per ambitionem regnandi, homicidijs, sceleribusque funestatam. In c. 17. de occupatione eorum per dolū & fraudes.

XIX. Subinde in 19. c. tractamus de nouo principatu, & de his quæ in eo accidunt vt plerumque: deque legibus principatum, quæ feruntur vel a principe, vel a populo, vel ab alijs.

XX. Hinc & sumta occasione agimus in c. 20. de legis imperio, quibus dominetur: & num principes legibus omnibus, an certis subiiciantur.

*Liber VIII.*

Principatibus distinctis in lib 3. proficimus quasdam qualitates quæ principum desiderantur in imperante vel gubernatore reipublicæ.

I. Et c. 1. de bono & malo principe: de his itē qui ab initio boni sunt, postea mali, & qui contra ex malis boni sunt.

II. Quia autem præcipua causa boni principis dependet a Deo: de religione gubernatoris & principis, vt de fundamento reipublicæ tractamus in c. 2. atque de duobus extremis vitiosis, quæ ei vitanda sunt: nempe de superstitione & impietate seu hæresi.

III. Dehinc in 3. de honore & maiestate principum, quæ vis in ea diuina sit ab hominibus agnoscenda.

IV. Quomodo etiam hanc tueri princeps debeat & possit maiestatem admonemus in c. 4. & vt per nimiam eius superbiam, vel nimiam eius abiectionem possit amitti.

V. Atque ad dignitatem conseruandam valde conducere putamus in c. 5. si princeps vitam probam, & a vitijs aliam ducat: ideo de continentia eius dicimus circa voluptates.

VI. In c. 6. vero de conuiujs & parsonia principum,

VII. In c. 7. de adulatione, quæ non minus nocet principi & reipublicæ, quam intemperantia.

VIII. Quia vero principes vt plerūque nescio qua vana & fastuosa curialitate adulari & placere omnibus student neque cuiquā petenti se defuisse, aut quemquam a petitione exclusisse volunt videri, & tamen re ipsa fallunt petentes & nihil præstant: ideo de fide & constantia principum in c. 8. agendum putavi, in pollicitis exsequendis, & in petitis non temere aut indiscrete concedendis.

IX. Atque in c. 9. tandem, non esse gloriam aucupandam principi ex largitione profusa, sed in exsequendo munere sibi a Deo commisso.

*Liber IX.*

I. Indicamus & libro 9. in c. 1. quanta sit potestas regia & monarchica, quæ suprema: quatenus extendatur, quæue sint regalia.

Et in c. 2. de abusu potestatis regie. c. 2. Distinctione rerum publicarū & principatum, propius accedimus ad artem ciuilem gubernationis, quæ requiritur tempore pacis.

*Liber X.*

Primum in lib 10. c. 1. admonemus reipublicæ gerendæ & administrandæ artem duplicem esse, vnā quæ in pace, alteram quæ tempore belli egemus.

II. In c. 2. vero prosequimur de pacis arte, & tractamus de iustitia legali.

III. In c. 3. de scientia & prudentia gubernatoris.

Latus iterum de arte regia.

III. In c. 4. c. de prudentia requisita circa præterita, præsentia, & futura.

Dehinc in c. 5. de prouidentia circa leges, earumque constitutiones & distinctiones pro ratione diuersa.

VI. Indicamus & in c. 6. errores lethales reipublicæ ortos ex ignorantia diuersitatis distinctionū rerum publicarum.

*Liber XI.*

Libro vero 11. agimus de alia parte ciuilibus scientiæ, & de militari arte.

I. Atque in c. 1. agimus quando mouendum bellum, & quando iustum vel iniustum sit.

II. In 2. autem de consultatione bellum procedente.

III. In 3. de apparatu belli prouidēdo  
IV. In 4. de aliis obseruandis in ipso belli tempore.

V. VI. VII. VIII. Atque in 5. de legibus quibusdam selectis ex iure Romano de rebus militaribus, vt & 6. de personis militaribus, & in 7. de militum delictis: in 8. de eorum quibusdam priuilegiis.

IX. Dehinc in 9. de legibus quibusdam pertinentibus ad disciplinam militarem, prapositionum & militum.

X. Vt 10. de legibus eorum quæ erga hostes seruandæ sunt.

XI. Ad hæc quoque pertinere visa sunt, quæ de induciis, & fœderibus placuit obseruare inter pugnantes idque c. 11.

XII. Atque 12. cap. de victoria, eaque regenda & consideranda.

XIII. Et 13. de pace eiusque conditionibus & utilitate, eo quod belli sit ille scopus.

XIV. Et postmodum de ea conseruanda, capitulisque pacis initis ab aliquibus exempla proponimus in c. 14.

XV. Neque prætermittendum censuimus cap. 15. quæ a bello & sine eius pendere videntur, nempe quæ ad captiuitatem, captiuos, & ius postliminii pertinent.

Post leges de regenda republica tempore pacis & belli, dispositoque & temperato corpore reip. operę pretium & commodū visum est de religione, tanquam de spiritu qui eam animat & viuificat, tractare.

*Liber XII.*

I. In libro 12. & proinde ordine in c. quid sit religio docetur.

II. In 2. c. distinguitur vera religio a duabus perniciosis extremitatibus, quę solent loco religionis verę se auctore, nempe a superstitione & impietate.

III. Ideo in 3. origine verę religionis & progressum indicamus, & quomodo ab ea in falsam degenerauerit populus.

IV. Neque posse curam verę religionis in republica, sine eius periculo prætermitti, ostendit c. 4. cum ex ea quę agenda, fugienda, iusta, iniusta, vinculū populi cum Deo, cum principe & cum proximo pendeant.

Quia vero antiquissima & incontaminata religio, non debet pendere ex arbitrio cuiusque priuati, aut ex pertinaciæ vel affectione singulorum, sed ex ipsa veritate: necessarium duximus admonere de libris permittendis a principe, a quibus vera & sinceræ religionis pietas hauriri possit, ceteris prohibitis.

V. Quare in c. 5. agimus de libris & scripturis veteris legis diuinę, seu veteris testamenti, & Rabinorum de Talmud, de quę versionibus bibliorum sacrorum Hebraicorum in Latinum sermonem.

VI. In c. 6. de libris nouę legis euangelicę, & qui sint recepti aut probati: idque versione illorū in aliā linguam.

VII. Et singulariter c. 7. de libris ipsis Euangeliorum, & de supposititiis, vel corruptis ab hæreticis.

VIII. Subinde annectimus c. 8. de utilitate lectionis sacrorum librorum, quæ aduenit laicis & clericis ad consolationem in malis, cognitionem Dei, vitę æternę manifestationem, tranquillitatem reipub. de quę modo assequendi sensum eorum.

IX. Et quia doctrina Ecclesiastica, fideique articuli aliqui non tam expressis verbis scriptis sacrę paginę pendunt, quam ex obseruatione & traditione per manus ab Apostolis & Patribus primitiuę Ecclesię ad nos transmissa: ideo cap. 9. de illis docemus, in omni reipub. Iudæorum & aliorum, vt Christianorum, religionem non tam scripto quam traditione constare.

X. Esse quoque præter prædicta testimonia, quorundam Doctorū & interpretum Theologorum scripta admonemus c. 10. & quæ sint illa quæ a fidelibus Christianis admittantur.

XI. Et in 11. ostendimus qui sint libri Dei, & quæ in ipsis Deus, & quomodo scribere dicatur.

XII. Et in c. 12. de libris Sibyllinis quę quondam habiti sunt loco diuinorum oraculorum.

XIII. Rursum c. 13. de imaginibus, quę pro libris rudibus & alphanabeticis sunt, de abusu earum, de representatione per ea diuinarum personarum: cur etiam in ecclesia retineantur,

de miraculis & prodigiisque illarum & statuarum.

XIV. Adiciamus & 14 impugnantium in ecclesia imagines, errores: eorum auctores & causas.

XV. Et ne dubium relinquatur, refellimus in c. 15. obiecta contra imagines: & conciliamus vtriusq; testamenti veteris & nouæ legis locos, qui facessere alioquin videbantur.

XVI. Atque in cap. 16. explanamus quæ in ecclesia dicantur signa venerabilia, & agimus maxime de signo crucis eiusque miraculis.

XVII. Et ne simplices decipiantur imposturis artificum, c. 17. ostendimus rationem quarundam imaginum quæ vi quadam naturali, vel arte, ea quæ viuunt imitantur, & de figuris Dei vel Angelorum quibusdam.

XVIII. Quomodo vero distinguendus sit verus vsus imaginum ab idololatia, & idolis prohibitis 18. c. admonemus.

XIX. XX. Agimus & 19. de aliis idolis Ethnicorum, & c. 20. de dzmonis adoratione sacrilega. Postea c. 21. de locis in quib; cultus diuinus exercebatur ante Christum & in 22. de ecclesiis & templis Christianorum, ritibus & consecrationibus & pollutionibus eorum. Consequenter c. 23. de ecclesia prout est congregatio fidelium, deque oppugnatione eius per congregationem seu ecclesiam malignantium & dzmonum.

*Liber XIII.*

Sed quia non sufficit veram religionem in rempublicam fuisse inuectam, nisi ea facta testaq; vt dicitur, conseruetur in sua puritate: Et quia peccata eo perniciosiora sunt, quo fucum habent virtutis, maxime dū induunt colorem & pretextum religionis, Idcirco in 13. lib. de repub. vtile visum fuit indicare & detegere ea in quib; sub pallio religionis peccari, & populus decipi potest, cum remediis quibus occuri, vel antequam accidant, præcaueri potest.

I. Proinde in c. 1. agimus generaliter de abusu sub pretextu religionis vnde oriri possit, & de generalibus remediis II. Et in 2. c. ad speciem descendimus, & proponimus quomodo collegia, mo-

nasteria, fratres, religionis causa probentur, & utilitates quæ inde accedunt reipublicæ.

III. In 3. vero, indicamus abusus quosdam eorum qui tales constant societates sub pretextu religionis, eodemque c. producimus duo remedia, nempe reformationis & destructionis societatis.

IV. In 4. c. de tertio remedio de non permittendis nouis religionib; & collegiis, cum rationibus ex quibus laici reipublica possit.

V. Agimus in 5. c. de votis & sacrificiis in religione eorum fauore sanctitate & probatione. subiungimus autem mala & scelera, quæ eorum pretextu commissa fuerunt, possunt ne committi, cum remediis & præcautionibus ne accidant.

VI. In 6. c. de religionis zelo, seruire quo quis induci debet ad eam strenue totisque viribus defendendam, deque bellis ideo a singularibus & publicis personis gestis.

VII. Addimus & statim c. 7. quomodo plures eo pretextu, religione abusi sunt ad sibi parandos principatus & ad ambitionem complendam.

VIII. Vt quoque in c. 8. ostendimus eodem pretextu religionis vel cultus diuini, deceptiones & crudeles actiones contigisse.

IX. Sed in 9. c. remedia aduersus talia commissa, vel ad eadem præcauenda detegimus.

X. Vt contra in 10. mala, subuersiones dominationum & principatum in republica, quæ ex contemptu religionis proficiscuntur, ostendimus.

XI. Demum in 11. tractamus de his qui sub hypocritis, religione abusi sunt ad proprium captandum lucrum adlegendam deceptionem.

XII. Sed in 12. c. tradimus remedia contra tales imposturas.

XIII. In 13. de aliis imposturis, pretextu religionis a Christiani nominis personis inductis seu patris.

XIV. in 14. de remediis.

XV. Subsequenter in 15. transitur ad fauorem religionis circa bona ecclesiarum.

XVI. In 16. de abusu eius in acquisitione

tione spiritualium vel temporalium.  
 XVII. Nec non 17 c. de abusu religionis in detentione bonorum ecclesiasticorum.

XVIII. Quantum rursus commendetur & fauorabilis sit religio in dilectione proximi, & caritate commendanda, traditur in c. 18.

XIX. Quomodo vero abutantur hoc praetextu caritatis, plures ad luxuriam & voluptatem, adhibitis etiam remediis doceatur in c. 19.

XX. Consideramus ita 20. c. & fauore religionis circa immunitates datas ecclesiis & personis ecclesiasticis, vt Deo attentius inferuiant.

XXI. Verum c. 21. abusum immunitatum & otii, remediaque quibus vel praueatur, vel emendetur, demonstramus.

XXII. XXIII. Quare & in 22. de immunitate asyloium, ecclesia dicitur, & in 23. de eius abusus, quibusque remediis compescantur, & de his qui eorum immunitate vtique nequeunt.

XXIV. In c. 24. de miraculis veris, ex Dei potestate factis, disputamus.

XXV. Et ne ignoretur qualia illa sint, explicamus illorum verorum & prodigiosorum & non verorum differentiam in 25.

XXVI. Adimus c. 26. imperatorum magistrarum praestigia, & abusum earum praetextu religionis.

XXVII. Et in 27. antiquorum quorundam magorum mira, prodigia & imposturas, vt similia qui praetextu reipub. possit distinguere, & ex republica explodere.

XXVIII. Proponimus c. 28. disputatam questionem. Num ea quae a fortibus & maleficis seu lamis fiunt, vere an fide accidat: quo magistratus in his puniendis certius indicare possit. Et c. 29. de ipsis lamis & maleficis, agimus. Sic & c. 30. de eorum iudiciis, vt 31. de remediis aduersus maleficia & maleficas, de quibus exorcismis & incantationibus morborum & maleficiorum, & quae perimitantur. Postremo c. 33. agimus de veris prophetis, de vatis & diuinis eorumque differentia, munere diuerso quo modo predicandi. De collegiis etiam prophetarum Iudaeorum & Ethnicorum.

Liber XIV.

Post causam religionis tractatam, &

a moderatore principalis spiritualis vel secularis perpenam, succedit actio quae ad curam vtriusque pertinere videtur: nepe sollicitudo totius hominis, qui anima & corpore constituitur, quae ad generationem & conseruationem eius extenditur.

Proinde in hoc libro 14. monemus in 1. c. quae in reipub. circa coniunctiones generationis causa, ante, & in ipsa copula obseruanda sint, vt certi & legitimi partus edantur.

Deinde de cura dum eduntur: vt iuuentur & conseruentur.

Ideo c. 2. de obliuiscibus agimus: & ibi quae in illis magistratus reipublicae desiderare & punire debeant.

Post editos partus, prouidendum esse de educatione eorum infantium docemus c. 3. quando maxime controversia est de patre incerto, de alimentis praestandis, de expositis.

Et proinde huic consideratio proxima est in c. 4. de nutricibus.

Liber XV.

In lib. 15. post curam expositam requisitam in reipub. circa corpora edendorum & editorum infantium, adiungere placuit eam partem, quae animam respicit, & de institutione iuuentutis agit: vt melius per institutos reipublica conseruetur. Et eam institutionem in c. 1. necessariam & vtilem reipub. eius autem contemptum noxiū ostendimus, & qua via ad illam procedendum fit.

Et in 2. qualis etiam puellarum cura sit habenda. Subinde ne quid omittatur quod desideretur circa hanc partem: a minimis & elementis institutione ordimur, & in perfectione gradatim eam euehimus atque ita in c. 3. de instituen-do & formando primo sermone agimus, & quomodo quibusque concurrentibus formeretur, de sermone & verborum inuentione, & cur aliquae peregrinae linguae repudiarunt, curue vulgaris sermo, magis idoneus quotidianis ceseatur negotiis.

Et in 4. c. de generibus, approbatione, reprobatione vtilitate, professoribus, linguarum: & num. tales professores viles sint reipub.

Et in 5. c. de loquendi modo multiplici, Dei, Angelorum, hominum,

miraculorum. & demonū extraordinario: de vocibus confictis, & imposturis eorum, de vocibus de cœlo delatis, de miraculosis locutionibus infantium, mortuorum & lingua carentium.

D. scutimus porro in 6. c. quo pacto voces miraculose vel extraordinarie edita, sint examinanda priusquam illis fidē exhibeamus, aut illis perturbēur.

*Liber XVI.*

Et quia formatio sermonis & scriptura, quæ perinde fere ac sermo necessaria est rei publicæ ex literarum consideratione & determinata prolatione pendet hanc curâ & partē vtilissimâ de literis & scriptura nolui prætermittere.

Quocirca in libro 16 & in c. 1. de literis ipis & elementis pronuntiationis & scripturæ de earum cognitione, pronuntiatione seu sono legitimo, agimus.

Atque in 2. de vsu, mysterisque literarū, quæ an alphabetis omnino latent: de damno & comōdo epistolârū: de characterib; magicis & Ephesiis: aliisque, quæ ex literarū sequuntur cognitione.

De materia diuersa in 3. in qua antiqui & posteri literas scripserūt, impreserunt, exsculpsērunt, vel pinxērunt.

Et quia expedit interdum rei publicæ consilia per literas cognitatas aperire, & sepe aliunde proditores per occultos characteres coniurationes communi-ent, docemus in 4. c. modos occultandi & detegendi occultationem: vt consulari ea cognitione occurrētibus ob eam negotiis. Qui autem plures euulgarunt libros, & plura scripserūt, veluti occasione sumta ab vsu literarum, indico in c. 5.

Et rursum in 6. num multos libros habere aut legere expediat, aut vtile sit

Et in 7. de thesauro bibliothecarum, quæ multitudine & varietate librorum diuersorum sit.

Atque in 8. ingenia aperimus in iudicando & reprehendendo scripta aliorū, interdum ex ratione, sed sepius ex presumptione & malitia aut odio auctorum. Precauendum tamen a prauorum librorum lectione & ex vtilitate publica id esse.

Et in 9. c. de scribis vt ministris vtilitatis literarū. in 10. vero de affectione

singulari quorundam erga scripta & libros aliorum

*Liber XVII.*

Ordo postea nos admonet, vt post considerationem literarum & librorū qui literis componuntur, agamus de scientiis & disciplinis liberalibus: quæ literis & libris traditæ & conseruatæ sunt: illa enim sunt ingenia & liberales dictæ, tanquam quæ in societate ciuili, mereantur inter ingenios & liberales homines locum habere quod prestatamus lib. 17. in cuius c. 1. fundamentum earum omnium tradimus nempe Grammaticam, per quam veluti primū instrumentū, possit dari aditus ad scriptas reliquas disciplinas intelligendas & explanandas, quæ sermone scripto conceptæ sunt

In 2. c. de eloquentiæ viribus, vtilitate & perniciē in republica per abusum Rhetorum: conamurq; adferre aliqua remedia, quibus abutentium malum, conseruata vtilitate, emendetur vel caueatur.

3. Mox vero in 3. de Dialectica & eius inutilibus sophismatibus, & quatenus recipienda & retinenda sit ad vsum reipublicæ, traditur.

Et quia ex duobus proxime positis capitulis apparuit, non esse constituendam vtilitatem publicam in solo vobili & emēdato sermone. Subnectimus c. 4. quæ sint præcepta bene & honeste loquendi: vnde fructum ex ornato sermone publica societas capere possit, & quando loquendum aut silendum sit.

Subinde c. 5. num poësis admittenda sit in repub. & eius censura adfertur.

Vt in 6. quatenus philosophia, & quæ, quæ philosophi recipi debeant.

Et in 7. c. qui sunt abusus philosophorum, & qui, & quorum ciuitatibus pulsauerint: & ibidem, de quibusdam remediis contra abusus philosophorū. Habet autem c. 8. philosophiam naturalem, quæ & medicina dicitur, & ostendimus qualis illi vsus fuerit apud antiquos, & de necessitate eius.

Quia vero quidam & illa abutentur, In 9. admonemus abusus & remedia.

Adiungo in 10. c. diuinæ theologiæ vtilitatem & necessitatem in societate ciuili



simili, & de institutione academiatarum, & tractatione eius vtriusque.

Secundam vero c. 11. agimus de legum schola & scientia, tanquam cognitu necessaria in politica gubernatione.

Antiquares porro scientia minores, quae liberales dicuntur, non ideo rejiciendas ostendimus in 12. c. imo potius retinendas: quod per illas ad Theologiam & civilem facilius pervenatur cognitionem. Et ideo eorum gymnasia & scholas Republicae conducere & scholarum subversionem ad damnum eiusdem respub. pertinere.

Quam autem per aequae saepe specie virtutis vitia inter docendum & discendum subrepant, & multi literis non minus quam alius optimis abutantur rebus

*Liber XVIII.*

In 18. lib. politiam generalem & particularem studiorum generalium tractamus, quae debet rector & publicus magistratus curare circa scholas ubi docetur scientia, circa collegia discantium & docentium.

Atque in 1. c. generaliter agit de studio generali, cur ita dicatur, aut universitas, de scientiis quae possint doceri & disci.

In 2. de praceptoribus & doctoribus eligendis, quibus recte iuvenes & civis instituendi committi possunt.

In 3. de illis ut bene meritis de republica, honorandis, & de dignitatibus ordinandis, exemplo maiorum, quorum officium in eo cum datis privilegiis referimus.

In 4. de stipendiis seu salariis illis solvendis.

Deque in 5. c. fundatione academiatarum, & quomodo illa, quibusque conditionibus maxime legum Romanorum, recepta fuerint a regibus.

In 6. de locis publicis, designatis ad publice docendum, & de eorum privilegiis, deque electione loci particulari, in quo convenientius schola edificanda sint.

De privilegiis vero scholasticis doctoribus & officiaris studiorum gratia concessis, latius in c. 7.

Et de legibus quibusdam statutis in academiis pro moderatione studiorum. in cap. 8.

Quia vero studiorum labor in academiis non debet esse sine fructu & honore laborantium: de gradibus praemiorum & honorum agimus in 9. cap. & de modo probationis promovendorum ad eos gradus, & de cavendis & reformandis abusibus, qui possunt intervenire.

Accedunt in 10. conservatores & iudices privilegiorum scholasticorum, reliquorumque privilegiorum, & quae in illis observanda sunt.

*Liber XXI.*

Sic expositis pro virili omnibus quae ad fundationem, distinctionem, curam & sollicitudinem generalem & specialem Rerum publicarum pertinere videbantur.

In lib. 19. de principatum quorundam origine, causisq; eos introducendi, per unum caput tractamus.

*Liber XX.*

Et subsequente 20. per aliud caput, quantum duraverint quidam principatus, respub. & monarchiae quaedam.

*Liber XXI.*

Libro vero 21. proposita est tractatio causarum mutationis & alterationis rerum publicarum, regnorum & principatum.

Et in c. 1. ostendimus nihil perpetuum perseverare posse sub caelo, & proinde mutationes principatum esse plerumque naturales.

Et ita in 2. esse vicissitudines potestatum & regnorum ut aliarum rerum.

Subsequente, in 3. & respublicas fati quod evitari non potest aut impediri quin accidat.

At in hoc inquirimus, c. 4. si possit esse remedium quod iram Dei placare possit, ad fatum interitus vel auerendum, vel leniendum.

Et in 5. cum ex constellationibus, quae fuerint tempore institutionis vel fundationis civitatum vel rerum publicarum, vel ex innovatione anni centesimi, contingere possint certo modo interitus:

Atque in 6. examinantur ea quae dicuntur de regnorum principatum rerumque publicarum fato seu sorte, de mutationibus in eris, de signis Solaribus & Lunaribus aut planetarum.

Latius autem in 7. de eclipsibus

Solis & Luna, & earum virib. circa mutationes & interitus regnorum.

Atque ne decipiantur homines qui fatum & necessitatem, aliud quam Dei voluntatem esse existimant in c. 8. de illa necessitate fatali non tantum regnorum sed aliarum rerum, quæ & qualis sit, explicamus.

Deinceps in 9. refutamus vanitatem coniectantiū quippiam de reipub. mutatione, alteratione, vel interitu, ex celestibus & cometis, & docemus quantum ex naturali vel supernaturali virtute, illis sit tribuendum, item de incertitudine scientiæ Astrologiæ, de causis cometarum & eclipsium: ne in posterum, ob ignorantem causarum metus panici, & scrupuli pestilentes in reipub. per præfugia incerta ciuib. iniiciantur.

Aduersus etiam signa & prodigia quæ malum aliquod portendere videntur reipub. in c. 10. remedia aut præcautiones adferre conamur.

Sed & c. 11. aliunde extrinsecus accedere posse mutationem societatis, & reipub. & ciuitatum fieri posse desertionem, & veluti in locis interitum, ex causa minorum animalium etiam & ferarum, vel ex spontanea congregatorum secessione indicamus.

At in c. 12. quædam remedia aduersus ista extrinseca, ad ecimus.

*Liber XXII.*

Contingunt superiores mutationes aliunde quam ex facto personarū sunt autem alia quæ causas habent ab ipsis personis, maxime dominantū & potestate gerentū, de quib. in l. 22. dicitur.

Et proinde in c. 1. patet, quomodo forma reipublicæ optimatum & paucorum, in alteram speciem gubernationis transformetur.

Et 2. quomodo populus, in aliam in c. 3. de contaminatione, alteratione, mutatione & interitu reipublicæ seu principatus, per luxuriam imperantium, vel in 4. per luxum & intemperantiam eorum: deq; emendatione eius causæ.

In 5. et de alia causa eiusdem mutationis aut interitus, quæ superbia dominantium est.

In 6. cap. cui causæ adiecimus ibi remedium.

Alia additur causa 7. c. crudelitas rectorum, trux dominatio, quæ non potest diu subsistere.

In 8. vero aperimus aliam causam: odio & contemptu principis plerumque respublicas turbari & discessionem fieri: Et proinde quomodo cū populo conuersari debeat rector reipub. vel princeps, vt ei causa occurrat, tradimus.

Et quod maxime nocet principibus, indicamus c. 9. dandi fere semper occasionem vsurpandi principatum, potestatem nimiam ante temere cuiquam concessam.

Verum in 10. exponimus quædam præcautiones & remedia, quibus obuiam ire princeps possit.

Item aliud c. 11. vt nemini omnino confidat, & coniurationes comprimat.

Auaritiam insuper fuisse causam aliquando mutationis & subuersionis status & conditionis reipublicæ docetur in c. 12.

At in c. 13. liberalitatem ei mederi docemus, qualisque ea esse debeat.

Ceterum c. 14. probat aliam causam eamque perniciosissimam mutationis vel interitus reipub. & principatus, religionis veræ & sinceræ contemptū, & cultus diuini negligentiam.

*Liber XXXIII.*

In lib. 23. alias causis frequentiores notamus mutationis vel perditionis status reipub. aut principatus: quæ ex seditionibus oriuntur.

Et in 1. c. seditionū causas prout differunt a bello generaliter ostendimus, postea in specie c. 2. causam earum luxuriam, factiones & coniurationes in 3. c. & in 4. de remediis factionū. Possunt esse & seditiones ex aliquib. causis morte, quæ per directū non sunt factæ commouendi statum reipub. gratia: sed ex alia occasione, quæ nihilominus ad seditionem lethale reipub. postea peruenit, de quib. & de remediis agitur in c. 5.

Possunt & extranei admitti ob motū diuersitatem in ciuitate concitare seditionem, vt habetur in c. 6.

Potesit & mentium otium desidia ciuium & animum animos ad dissidia & seditiones commouere, vt dicitur in c. 7. & ibi remedia.

Sunt & oratores seu declamatores in  
 ois politice commouentes pleun-  
 que tumultus. Possunt & propemodū  
 alia esse causa quæ dissidiorum & tu-  
 multuum sint origines.

Verum in c. 9. omnibus motibus &  
 seditionibus pacandis, traduntur præ-  
 cautiones & remedia.

## Liber XXIV.

Inter ea quæ maxime p̄sunt ad præ-  
 cauendas & corrigendas seditiones, &  
 ad conseruandam rempublicam, bonū  
 est consilium: ideo de eo sequitur lib. 24.

Et in c. 1. quid consilium, quamque sit  
 necessarium in repub tractanda, osten-  
 ditur in 2. c. quod duplex sit bonum &  
 malum.

Quod bonum ad utilitatem, malum  
 ad damnum publicum, pertinēat in c. 3.

Et in c. 4. præclaras respublicas bono  
 consilio institutas & conseruatas esse,  
 & comitis habuisse subindicamus.

Et in c. 5. specialius usum co-  
 mitorum qualis fuerit in Gallia osten-  
 ditur.

Ad hæc in 6. quales & cuius condi-  
 tionis, & quomodo eligi debeant adhi-  
 bendi in consilium publicum, seu con-  
 siliari, ponitur. Et quamuis imperet so-  
 lus monarcha, & sit sui iuris, possitque  
 suo arbitrio sine consilio in regno sta-  
 tuere: tamen eum sapientius & tutius  
 facturum ostendimus.

In 7. c. si consiliariis bonis, eorumue  
 consilio vratur.

Vtque possit bona consilia a malis,  
 & probos & utiles consiliarios a nocen-  
 tibus & prauis distinguere in c. 8. bo-  
 norum consiliorum, & consiliatorum  
 notas apposimus.

Non poterit autem bonū esse con-  
 siliū aut vile, dignitatiue vel maiesta-  
 tati repub. & principis, quod ad enerua-  
 tionem diuisionem & dissipationem  
 imperii pertinet.

## Liber XXV.

Quare in libro 25. adferimus aliam

in signem causam mutationis, alterati-  
 onis, & subuersionis principatus & po-  
 testatis, diuisionem imperii atque per  
 vnum solum caput, pluribus exemplis  
 liquido docemas. hanc diuisionem re-  
 guandi vel in solidum, vel pro parte,  
 vel ad tempus alternatim, nunquam  
 fuisse sine detrimento & mutatione  
 saltem potestatis & auctoritatis, & ple-  
 rumque habuisse subuersionem status  
 & interitum principum.

Quia vero per diuisionem, qui eam  
 patitur princeps, videtur partem eam  
 quam alteri concedit vel sponte vel vi  
 deponere & a se abdicare sumta hinc  
 occasione adiungimus per hunc pos-  
 sitremum 29. librum exempla & causas  
 quibus plures non partem, sed totum  
 reliquerunt principatum.

Et in 1. c. recensemus quosdam viros  
 præstantissimos magno animo recusa-  
 se potestates & imperia sibi delata: alios  
 iam quæsitæ & possessæ sponte deposuisse.

Alios in 2. c. oneribus imperii & incon-  
 stantia rerū humanarum perterritos.

Alios in c. 3. ob metum populi & in-  
 fidiarum & odium ambitiosorum.

Fuisse autem & alios tradimus in 4.  
 c. depositos inuitos, vt inuitos & inha-  
 biles ad exercendā principatus vel gu-  
 bernationis potestatem:

Verum tamen in c. 5. disputatur num  
 iure fieri possit quod factio ipso contig-  
 isse legitur, principes deponi posse a  
 potestate vel principatu, ob negligen-  
 tiam, furorem, vel aliam (vt dicunt) in-  
 habilitatem: & a quibus, dum fieri po-  
 test, illud faciendū sit. Deponit & prin-  
 cipatū vt cetera omnia princeps, mor-  
 te, siue naturali, siue violenta.

Ideo c. 6. agitur de morte principis.

Et in c. 7. quæstio agitur, num rex  
 tyrannus, qui male imperat, dici debeat:  
 & num tyrannus a quolibet necari  
 possit indifferenter & impune.